





QUOD DEUS TER OPT. MAX. PRAESES  
AC DIRECTOR BENE VERTAT:

*hoc*

INAUGURALE THEMA  
THEORETICO-PRACTICUM

DE

RETORSIONE  
CONTRA VERBALES

*injurias hodiè passim usurpatâ,*

*Decreto Nobilissimi, Amplissimi, Consul-*  
*tissimiq; ICTorum Collegii, quod est*  
AVGVSTAE TREBOCORVM

*Pro*

LICENTIÆ IN UTROQUE JURE

honoribus, privilegiis, & immunitatibus  
ritè, & legitimè consequendis

*Publicæ instituendæ disquisitioni*  
*exponet*

JOACHIMVS CVNRADI  
HAMBURGENSIS.

*Die mensis Augusti horis, locisq; solitis.*

---

Waremundus ab Erenberg.  
aliàs Eberhardus à Weihe.

*Satius est, ex Variis prudentia Authoribus optima*  
*quaq; congerere, quàm propriè industria*  
*viribus excogitata periculose proferre.*

ARGENTORATI.

Excudebat PAULUS LEDERTZ.

CID. IDC. XXX.

1630-3  
1



*Quintilianus 12. declamat.*


Barbarorum mos est VLTIO populorum,  
nos ideo Magistratus, Legesq; à Majoribus  
accepimus, ne sui quisque doloris Vindex sit.

*Plato in Critone.:*

Nullo modo injuriam oportet facere, sed  
nec læsum vicissim lædere, ut P L E R I Q V E  
existimant.

*Sen. lib. 1. de ira. c. 32.*

Inhumanum est verbum VLTIO, & à con-  
tumelia non differt, nisi ordine.



## T H E S I S I.

**R**ETORSIONIS vocabulo licet hodiè in foro nostro nihil sit tritius, usitatusve, antiquæ tamen & puræ Latinitati, quod sanè miretur quispiã, id planè fuit incognitum. Apud ICTOS, præsertim veteres, vix est, ut illius vestigia reperias, nisi fortè unum exceperis Vlpianum, qui in *l. si quis 3. §. utrum 14. ff. ad SCtum Silanianum. & l. qui cum. 14. §. si libertus 6. ff. de bonis libert. verbi detorsit, & retorsit* semel atq; iterum meminit. Cujus si non solius, saltem præcipui autoritate abusi Nostrates illud RETORSIO contra *Grammaticæ regulas, & Orthographiæ principia in Iurisprudentiæ theatrũ* invexerunt.

### II.

Cum enim verbi *Torqueo, & Retorqueo* supinum solummodò *Tortum, & Retortum* agnoscat, sequitur, ab utroq; non *Torsio, & Retorsio*, sed *Tortio tantum, & Retortio* rectè formari posse. Et hanc Orthographiam, ut annotavit Clarissimus Vir Henningus Rennemannus, probat illud Galliæ decus Budæus in *annot. ad l. 1. ff. de just. & jure. celeberrimus* itidem Germaniæ ICTus Udalricus Zasius in *lect. prior. sub. tit. quod quisq; juris &c.* ut & Serenissimus Legislator, & Saxonici juris explanator Divus Augustus Elector, Saxonæ Dux *part. 3. constit. 38.* quem Commentator illius Daniel Mollerus, aliiq; sequuntur.

### III.

Ego cum paucis sentire, cum multis verò loqui cupiens

A 2 præ-

præsertim cum verba valeant sicut nummi, ex his alterum, quod usitatus est, quamvis minus rectum, retinebo, & omissis variis *Retorsionum* speciebus, quæ ad institutum nostrum parum, aut nihil faciunt, de eâ, quæ in causis *injuriarum verbalium* vulgò refertur accepta, nonnulla pro tenuitate mea in medium afferam.

IV.

Eam *duplicem* communiter faciunt: *Propriè*, & *impropriè* sic dictam. *Illam*, quando injurioso convitio verberatus illud sic in convitiatorem retorquet, ut ille criminis objecti vel solus, vel secum unâ reus, & socius fiat. Quæ propriè dicenda *Retorsio*, quando nimirum id, quod erat emissum, vel intortum in aliquem, ab eodem in emittentem, vel intorquentem retorquetur, & reflectitur. *Hanc*, quando convitiis proscisso convitiantem impunè recriminari, & aliis convitiis, vel similibus, sed falsis, malo more, vicissim proscindere, vel, ut cum *Suetonio* loquar, *remaledicere* permittitur. Quæ nõ *Retorsio*, sed veriori verbo *Recriminatio*, *Relatio*, vel *ἀντιλοιδόγησις* dici meretur.

V.

Quam, ceu Divino, & Politico jure improbatam, & Reipublicæ perniciosam, adhæc jurisprudentiæ Romanæ incognitam, sed superiori seculo, Patrum nostrorum memoria inveciam, nostro autem ævo (heu!) nimis usitam ex foro juridico, & Christiana Societate ad Garamantas, glacialemq; Oceanum profligandam censeo.

VI.

De ejus *definitione* licet causa non subsit, cur multum solliciti esse debeamus, cum, quod nullum est, definire nõ sit necesse, potest tamen ex Dn. Bocero *c. 5. n. 44. de famos. libell.* & Dn. Harprecht. *ad §. 12. Inst. de injur. n. 90.* omissis, & mutatis verbis aliquot definiri, quod sit: illegitima inju-  
riæ

riæ verbalis, propria autoritate, ab injuriis affecto, in ipsummet afficientem, præsentem, vel absentem, verbis, vel scriptis facta repulsio.

VII.

Dixi *illegitimam*, utpote quam nullis, neq; sacris, neq; profanis legibus, imò ne ullis quidem argumentis ex ratione petitis suffultam, sed merâ consuetudine, & *Opinionibus* Doctorum aliquot, cum insigni Reipubl. pernicie, introductam constat.

VIII.

Conatus est quidem nuper nonnemo, ut ex *Rennemanno* patet, *Retorsionis* doctrinã, veluti *Theologiæ* principiis consentaneã, ex malè detortis *Sacra scriptura* locis aliquot defendere, quasi ea (prout hodie fit) nõ tantum Sanctus Propheta *Jeremias*, verum ipse quoq; Sanctissimus *Redemptor* noster semel atq; iterum fuerit usus, sed argumenta illius, & rationes, cum ab eodem *Rennemanno* solidissimè sint refutata, iis immorari diutius nequaquam operæ pretium esse existimo.

IX.

Textus, quos adduxit *Retorsionis* Patronus (si fortè cuiuspiam inspicere juvabit) sunt *in cap. Jerem. 37. v. 14. Joann. 8. v. 48. & Luc. 11. v. 15.* à quibus tamen ille mox, quasi sui oblitus, qui ex biblicis tam præceptis, quàm exemplis eam astruere proposuerat, ad *JCtos*, & præsertim *Gailii* observ. *Camerales* dilabitur, cum *Gailius lib. 2. obs. 100.* (loco à *Propugnatore* citato), candidè fateatur, quòd ea, quæ circa hanc materiam ex *D. D.* opinionibus affert, magis *Politice*, quam *Christianè* scribantur, & disputentur.

X.

Ego illam, tam per se, quàm ob id, quod *privata vindicta* species sit, jure Divino, tam veteri, quàm recenti, imprimis à filio Dei, & ipsius *Apostolis* severissimè prohibi-

A ; tam

tam existimo. *Levit. 19. v. 18. Deut. 32. v. 35. Ecclesiast. 28. v. 1.*  
Benedicite, inquit Servator noster *Matth. 5. vers. 44. &*  
*Luc. 6. vers. 27.* iis, qui devovent vos. Hæc eadem Paulus  
*ad Rom. 12. vers. 14. 17. 21.* inculcat, addens: *nemini malum*  
*pro malo reddentes, sed vincentes bonitate maliciam.* Petrus  
item *in prior. c. 3. v. 8. 9.* Omnes sitis concordēs, fraterna cha-  
ritate præditi, non retaliantes malum malo, nec **CONVITI-**  
**VM CONVITIO**, sed contra benedicentes. Quoniam Chri-  
stus mortuus est pro nobis, ut insequeremini vestigia ejus, qui  
cum convitijs afficeretur, non regressus, (*ὄχι ἀντιδοῦντος*) convi-  
tia, sed commisit vindictam ei, qui judicat justè. idem *prior.*  
*c. 2. vers. 23.* XI.

Inter Pandectarum leges, quas objiciunt Retorsio-  
nis patroni, est Prima *l. 3. ff. de just. & jure.* Secunda *l. cum*  
*major 14. §. si libert. 6. ff. de bon. libert.* Tertia *l. quæ omnia 25.*  
*§. 1. ff. de procurat.* Ex jure gentium, seu naturali ratione,  
unicum solummodò ducunt argumentum, hoc modo:  
Si vim armatam corpori nostro inferendam armata vi re-  
pellere licet, etiam injuriam famæ, honori, & existimati-  
oni illatam contrariis verbis, *Tu mentiris &c.* repellere li-  
cebit, cum fama, & vita paribus passibus ambulent *l. 9. de*  
*manumissis vindicta.* Quibus singulis, quid roboris insit,  
ordine despiciamus.

XII.

In lege allegata Prima duo hæc vocabula *Vim & in-*  
*juriam* contra Accurs. Coras. & alios *disjunctim*, & *diverso*  
*respectu* accipienda contendunt, ut, quod JCus Florenti-  
nus de vi dicit, ad corpus, quod de injuria, ad honorem, &  
*existimationem* tuendam referatur, ut, scilicet, quemad-  
modum vim vi repellere, sic etiam injuriam injuria retor-  
quere liceat. Quod tamen legis contextus, qui *vis, & inju-*  
*riæ propulsationem ad tutelam corporis*, nulla famæ & exi-  
stima-

stimationis mentione facta, apertissimè restringit, verbi quoq; *propulsare*, ut & *insidiari* etymon (quorum *illud* vim & periculum ab armis, vel robore violento corpori alicujus instans, vel impendens, antequam perficiatur, *porrò pel- lere* (quod in convitio exprobrato locum habere nequit) vel *repellere* significat, hoc verò ad *vitam*, non *famam* refe- ratur *l. 9. §. 3. ad l. Aquil.*) non admittit.

XIII.

Ex *Secunda*, cum Vlpianus ibi filio Patroni, qui cri- mina à liberto, coram tribunali, in accusationem deducta in ipsummet libertum accusatorem *Retorserat*, ignoscen- dum respondeat, quod se voluerit ulcisci provocatus, in- ferunt: posse eum, cui privatim factum est convitium, convitiatori retorquendo dicere: *Tu mentiris, ut fur, latro, scelestus. &c.* Sed malè. Cū enim in dicta lege tantum quæ- ratur, utrum Patroni filius crimina (veluti majestatis) in libertum *impunè retorserit*, ita ut in pœnam, quæ libertum calumniosè accusanti proposita erat (ut scilicet liberti de- functi bonorum possessionem *contra tabulas ipsius* jure Prætorio petere, & impetrare non posset) non inciderit, rectè Vlpianus in hac personarum, & loci circumstantia *Patronum* ob hanc causam à petenda bonorum possessio- ne removendum negat, sed eidem ignoscendum censet, si à liberto, qui ad maximam illi reverentiam obstrictus e- rat *provocatus*, & quidem *in judicio*, se, per *vim exceptionis*, ulcisci voluerit.

XIV.

In lege *tertia*, quam tantum non osculantur D.D. in verbis illis, quibus Procurator *Dominum mentiri* dixerat, *Retorsionem* esse arbitrantur, in qua tamen vulgata *Retor- sionis* doctrina nequicquam pedem figere conatur. Ibi e- nim Actor, in judicio, post litem contestatam, Procurato- rem

rem suam à lite removeri cupiens, eidem cum *Adversario collusionem* obiecerat, & cum Procurator pudorem suum purgare cupiens per vim exceptionis, *Dominum mentiri* respondisset, Vlpianus eos (contra *Retortorum* nostrorum opinionem) ad Prætorem mittens, hanc controversiam apud eum finiri oportere ait, interim ferendum esse in prosecutione exsequenda, donec se purgarit, omninò non ferendum, nisi se purgare vellet. Sic post Accurs. Donell. lib. 18. comm. 5. 17.

XV.

Argumentum porrò ex *naturali ratione* petitum admodum debile est, cum in probanda propositionis connexitate omnis aqua hæreat. Siquidem æquiparatio *vitæ & famæ* sibi non per omnia constant, ut ex l. 38. §. *libertus ff. ad L. Iul. de Adult.* patet, ubi, cuius famæ, ejusdem multo magis vitæ parcendum esse, dicitur. *Dein* habet propulsatio vis à corpore objectum semper damnum violenter *inferendum*, ne inferri possit: Honoris autem, & famæ cura versatur circa damnum jam famæ *illatum*, ut illud vindicetur. *Tertio* potest corpori impendens periculum violentum vi maturè repelli, ne inferatur, famæ & existimationis non item &c.

XVI.

His aliisque modis licet plerique *Retorsionis* doctrinam ex jure justiniano fulcire satagant, laudandus tamen magis est illorum candor, qui totum hoc commentum *Communi Doctorum Opinioni* acceptum referunt. Ego, ut illius, (*communis opinionis*) nõ vilem esse auctoritatem libens largior, ita ejus tantam vim esse debere non arbitror, ut pondere suo, contra jus Divinum, sanam rationem, Reipubl. salutem, præter legis præscriptum, illud, quod jus non est, facere possit, aut debeat, cum præeunte imperatore Justiniano

niano in l. 1. §. Sed neq̄ C. de vet. jure enucleand. non ex multitudi-  
ne Authorum, sed quod melius, aut æquius est, ju-  
dicandum sit, & à Cicerone lib. 3. de natura Deorum in di-  
sputando rationibus, non autoritatibus pugnare jubea-  
mur, iis præsertim, quibus liceat non credere. (vid. l. 5. §.  
pen. impens. in reb. dot. fact. item l. 12. ff. de instrum. legat.) &  
Communis Opinionis legum textibus destitutæ, ratio nulla  
habenda sit, etsi vel ipsemet Imperator in eadem esset sen-  
tentia, si alia melioribus fulta rationibus in promptu sit,  
quam, illa Communi relicta, sequi debemus. Hartmannus  
Pistor. l. 1. q. 30. n. 24. & q. 24. n. 37.

XVII.

Accedit, quòd Retorsionis Doctores non omnes ejus-  
dem sunt sententiæ, cum alii plus, alii minus ei tribuant.  
Contra præsentem quidem, in continenti, verbis ore pro-  
latis, contra absentem verò, chartæ cuiquam inscriptis, &  
facienti convitium, etiam ex intervallo, per Notarium, &  
Testes insinuatis, Retorsionem fieri debere statuunt. Quibus  
autem verbis, & quo modo, non satis convenit. Quoniam  
autem ejus substantia in contradictione consistit, illam o-  
mnimodò injuriosam esse volunt, siquidem Retorsor (ut  
cum illis loquar) injuriam injuria compensare, & retor-  
quere debet, quod sine injuria fieri non potest.

XVIII.

Hinc infertur, ut qui se convitium facienti opponit,  
dicendo: *Hoc verum non est: Veritati parcis. Ultra veri limi-  
tes exspaciaris: Hoc falsum est, cum injuria retorquere non  
dicatur. l. si rem 29. ff. de Evictionib. Schneidvv. num 10. & 11.*  
Quam tamen contradictionem apud Germanos præser-  
tim, vix tutam putarim, nisi protestatione aliqua miti-  
getur.

B

19. Inter

## XIX.

Inter veras autem *Retorsionis* formulas, qui modestiores sunt, hanc præscribunt: ut convitio jactatus: *Tu es fur, scelestus &c.* respondeat: *Non sum, sed te pro fure, scelesto &c. tam diu habebo, donec me talem esse probaveris.* Qui iidem tamen illam: imò *tu es fur, scelestus &c.* planè improbant, quod posteriori modo retorquens, ut ajunt, se vindicare, & novam injuriam inferre videatur.

## XX.

Verum hætenus idoneam rationem reddere non potuerunt, ob quam prior magis, quam posterior formula probanda videatur, cum tam illam, quam hanc retorquens ad privatam vindictam tendens novam injuriam inferat. Sive enim convitiantem criminer esse *furem, scelestum &c.* Sive illum *pro fure scelesto &c.* donec convitium probet, vindictæ studio, haberi cupiam, utroque casu illum furti infamia maculare me velle, & sic contra juris principia ad privatam vindictam tendere palam est.

## XXI.

Illud crudum nimis, & incivile est, quod existimat, posse Retorquentem convitium facientem recriminari his verbis: *Tu mentiris* (quod D D. in re barbara, vocabulo quoq; barbaro *mentitam dare* appellant) vel his emblematum additamentis, & flosculis, *Tu mentiris in os, gulam, & cor tuum, vel mentiris ut fur, latro, scelestus &c.* cum nullus ex omni jure apex proferri possit, quo hoc tam insulsum dogma palliari possit. Et ut maximè largiamur, quod non est, posse hujusmodi *Retorsiones* summo jure alicubi utcumque sustentari, debebant certè Jcti Christiani, non tantum ut *Viri boni*, sed etiam *justitiæ Sacerdotes* ad juris sui principium, quod est *honestè vivere*,  
 eas

cas revocasse, simulque meminisse, non omne, quod licet, honestum esse. *l. 144. de R. Jur. l. semper 197. Eod.*

XXII.

Subtilem quoq; distinctionem illam, quàm nonnulli ex autoritate A. Gellii *lib. 11. cap. 11.* & Ciceronis *in oratione pro Cluentio* inter *mentiri*, & *mendacium dicere* in vulgata ista *Retorsione* distinguunt, ut posteriori casu nequaquam injuriosa responsio censenda sit, planè rejicio, nec ulli autor esse velim, ut in vernacula nostra lingua cuiquam hac retorsione: *Hoc mendacium est*, insultare ausit, nisi mox ad pugnam paratus sit, cum ne Galli quidem, si modo Corasio *in l. si tam augusti. ff. de servitutib.* credimus illud: *Tu non dicis verum*, concoquere possint.

XXIII.

Adeò ut Protestationem quoq; his aliisq; convitiis in continenti adjectam: *Hoc nequaquam animo injuriandi fieri*, cum Domino Bocero acerrimo aliàs *Retorsionis* propugnatore *disputat. 3. thes. 30.* nullius momenti esse arbitrer. *Wesenbec. in paratit. de injur. num. 8.*

XXIV.

Quod DD. *arg. l. 15. §. 39.* nobili permissum existimant, homini plebejo pro objecto mendacio, colaphum impingere, ut hoc modo illum ab ulterius convitiando absterreat, planè ratione carere autumo, cum experientia teste, qui talibus pulsati sunt modis, ad ulterius, & atrocius convitiandum magis, atq; magis irriterentur.

XXV.

Sed si Titius Sempronium increpet *furem*, hic illum vicissim *latronem*? Sublata, quam vulgo prætendunt, *compensatione* (quæ saltem in delictorum pœnis ex *contractib.*

*tractib. vel quasi dependentibus, vel ad pecuniarium pri-  
vatum compendium in delictis, vel quasi tendentibus lo-  
cum habet) utriq; parti injuriarum actionem competere  
cum Myns. respons. c. 2. n. 17. Schneidevv. §. injur. 1. num. 12.  
Wurmbf. tit. 46. obs. 15. concludimus.*

XXVI.

Cùm itaq; in propatulo stent honestissimæ leges, &  
actiones, quarum beneficio quilibet famam defendere  
potest, nemini Christiano convitium in quemquam, sive  
id verum, sive id falsum sit, ex prava intentione *retorquere*  
permissum esse ex l. 5. C. de injur. l. 3. C. de offic. rector. pro-  
vinc. Wesenb. parat. de injur. n. 8. ex sanctione criminal.  
Carolin. artic. 110. circa de fam. libell. & sequenti quoq; syllo-  
gismo evincitur.

XXVII.

Quicquid à sacræ scripturæ præceptis, exemplisque  
abhorret, & in ipsa prima juris elementa & principia *Honestè vivere* &c. impingit, & jurisprudentiæ Romanæ à  
Justiniano promulgatæ, & à successoribus in Imperio Ro-  
mano per Imperii recessus, & constitutiones adauctæ non  
modò incognitum, sed per vim rationis legum implicite  
prohibitum est, & causam præbet propriæ, extra casus  
permissos, vindictæ, injuriarum deniq; rixarum, convitio-  
rum, provocationum, duellorum, homicidiorum origo  
& fons existit, id ex foro juridico, & Christiana republica  
est exterminandum, etiamsi millies millenæ *Communi-  
um Opinionum* myriades essent in contrarium. Sed talis  
est Retorsio. E.

XXVIII.

Fuit olim, & adhuc est in usu *Retorsionis* quoddam gen<sup>o</sup>,  
quo homines ingenio, & linguâ prompti sales, & commata,  
ea quoq; quæ acerbius, & injuriosius in se dicta, sunt,  
per

per inversionis argumentū, in ipsos autores verè, sed modestè, tectè, & argutè (sine vindictæ judiciariæ præjudicio) quasi reor quere solent. Quibus hoc casu, ut provocatis ignoscendum videtur *l. 14. §. 6. ff. de bon. libert.* Hac tamen lege, & conditione, ut si forsitan modum excedant, poenâ quidem, sed mitiore, & extraordinaria coërceantur, cum difficillimum sit justum temperare dolorem *l. 38. §. 8. ff. ad L. iii. de Adult.*

XXIX.

Quæ species Retorsionis (immane quantum!) distat à vulgata altera DD. retorsione. I. Hæc sine impetuosis verbis profertur, altera verò scætet verbis ad contumeliam studiosè corrogatis, & selectis. II. Hæc profertur animo ab affectibus tranquillo, sæpè cum vultu renidenti latenter, & argutè, illa verò affectuum turbis exacerbato, semper verbis apertè injuriosis, & crassissimo rancore plenis. III. Hæc judiciariam vindictam Retorquenti non præcludit, illa ad vindictam in judicio prosequendam, ita enim volunt, inernem facit.

XXX.

Quod suprâ de utriusq; Retorsionis, quæ tam *inter presentes*, quàm *inter absentes* sit, circumstantiis dictum est, debere, videlicet, *illam* non ex intervallo, sed in continenti, verbis ore prolatis fieri, rationem sanè haberet, si ullus omninò Retorsioni locus esse posset. Quod autem *hanc* verbis chartæ, vel libello cuiuspiam inscriptis, & facienti convitium per *Notarium*, & *Testes*, etiam ex intervallo, insinuatis fieri posse existimant, prorsus ratione carere puto, cum impossibile sit, aliquid *retorquere*, quod non de præfenti, sed ante diem, septimanam, mensem &c fuit intortum, & defensio ex intervallo facta, in vindictam privatam transeat.

## XXXI.

*Retorsionis finem statuunt honoris defensionem.* Cum I. sic depulsa contumelia recidat in caput convitiatoris, qui illa tam diu manet oneratus, donec injuriam probet. II. injuriam faciens hac ratione à pluribus convitiis evomendis absterreatur. III. injuriatus sic actionem injuriarum evadat, & sumptibus parcat. Quod postremum non diffiteor magnum fore injuriis affecto compendium, si unica schedula transmissa se posset à litibus & sumptibus, aliàs in vindicandas judicialiter injurias impendendis immunem facere. Sed an honorem suum chartaceâ illa purgatione, quæ vix in duorum, vel trium manus, & notitiam pervenit, ritè defendat, & statim convitiatis, qui plerunq; improbus est, per hanc sive verbalem, sive scriptam *Retorsionem* ab ulterioribus criminibus absterreatur, haud ita facile mihi quispiam persuasum dabit.

## XXXII.

*Effectus* creduntur esse hi: Ut I. inter Retorquentem, & eum, cui retorquetur, omnis actio injuriarum tam civilis, quàm criminalis aboleatur. II. Quod retorquendo planè expurgetur contumelia, & criminis objecti suspicio. III. Quod idem sit effectus retorsionis, qui sententiæ, & rei judicatae. IV. Quod retorsionem passus oneretur injuria alia, qua opinio ipsius per mendacii objectionem maneat apud honestos, donec objectum crimen probet, prægravata. De quibus nusquam neq; in legibus, neq; edictis, neq; prudentum responsis cautum existimo, sed mera esse D.D. figmenta, sine illo jure, præcepto, exemplo contra sanæ rationis dictamen invecta, asseverare non dubito.

## XXXIII.

Quemadmodum autem, si *opiniones* numerentur, faten-

fatendum est, illorum, qui pro *Retorsione* pugnant, majorem esse numerum, quam eorum, qui repudiant, sic vicissim illorum, qui *pro furibus latronibus, &c.* stant, exiguum esse numerum, longe minorē istorum, qui novum hunc: *ex intervallo per libellos, Testes, & Notarios retorquēdi injurias* modum probant, illorum autem, qui eam *injuriarum obligationis tollendo modum* venditant, longè minimum esse numerum, negari non potest.

XXXIV.

Contra Retorsionem generaliter pugnant Jul. Clarus *sentent. lib. 5. §. injur. n. 14.* Emanuel Suarez *thes. comm. opinionum. Lit. I. n. 73.* Joannes Eichardus *thes. comm. opin. Lit. A. nu. 27.* Vmmius *in parergo disputationi 14. de process. jur. subjecto* qui vulgò receptam Retorsionem nervosè oppugnat, illis, quæ in contrariam partem proferri solent, solidè confutatis. quem sequitur Erasmus Vngepaur, Antonius Matth. aliiq;. Sed omnium nervosissimè, solidissimèq; eandem oppugnavit confutavitque Dominus *Rennemannus.*

XXXV.

In specie *Retorsioni per libellum* opponit se præclarissimi nominis J. C. Rutgerus Ruland. *in tract. de Comm. part. 2. lib. sic. 7. n. 4.* Ubi inter requisita Notarii legitimi refert, ne instrumentum *Retorsionis*, insinuarit, quia actus illi juri communi aversetur. Cum quo facit Bacchovius *in not. ad vol. 2. Treutl. disp. 30. thes. fin. lit. E. F. G. circa finem,* ubi refutatis prius ex legibus pro retorsione produci solitis argumentis, hoc epiphomena subdit: Et tamen receptum est, inquit, quod non tantum in continenti, sed etiā ex intervallo, nec tantum ab ignorante, sed etiam qui ab initio scivit, nec tantum verbis, sed etiam litteris per *Notarium*

*tarium*, & *Testes* alteri liceat retorquere. quod quidem, quin alienum sit à jure nostro, dubitari non decet.

XXXVI.

Improbavit quoq; Augustissima Camera Imperialis Spirensis illam appendicem: *ut fur, latro, scelestus*. Cum enim quispiam ita retorsisset: *du leugst wie ein Ehrloser Mann* / & desuper in Camera conventus esset, quamvis Adversarii mendacium plenè probaverat, propter adjecta tamen illa verba: *wie ein Ehrloser Mann* / fuit condemnatus, ut refert collector præjudiciorum Cam. Adrianus Gylmann. *tom. 3. symph. sub verb. injuria vers. fin.*

XXXVII.

Rursus se iterùm in specie fictitio illi obligationis tollendæ modo opponit totum *Collegium juridicæ facultatis in Academia Giessena*, & ibidem Henricus Nebelcrasus professor, aliq; , sine dubio, plures.

XXXVIII.

Ex quibus in unam collecti summam, cum Camera Imperialis plurimorum, Academia Giessensis multorum sit instar, quid obstiterit, si aliàs pauci Doctores *Opinionem Communem* conficiant, quo minus illorum *novem* vel *decem*, vel plures, etiam unâ cum Camera Imperiali: Collegio Giesseno simile quid moliri possint? inprimis si pro ipsis *Sacrosancta scriptura*, *Philosophia Ethica*, *Iurisprudentia Romana*, & *Reipublica commoda* pugnaverint? &c.

F I N I S.

X 2615926

VD.17





Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



MAX. PRAESES  
ERTAT:

THEMA  
TICUM

1630-3

LONE  
BALES

ufurpatâ,  
issimi, Consul-  
quod est  
CORVM

QUE JURE  
munitatibus  
uendis  
nitioni

NRADI  
s.  
locisq; solitis.

nberg.  
eihe.  
horibus optima  
è industria  
proferre.

EDERTZ.